

2. 357, 41.

De explanatione

169
II f
1335

MAGNIFICVM
ACADEMIAE RECTOREM
ILLUSTRISSIMOS COMITES
VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES GRAVISSIMOS

NEC NON
GENEROSISSIMOS ET NOBILISSIMOS
ACADEMIAE CIVES

AD AVDIENDAM

ORATIONEM

QVA

X 231 3053

PROFESSIONEM LOGICAE
ARISTOTELICAE ORDINARIAM CLE-
MENTISSIME SIBI DEMANDATAM

DIE ~~XVII~~ APRILIS A. O. R. MDCCXXXII

XIX

HORA IX. MATVTINA

AVSPICABITVR

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

EA QVA PAR EST OBSERVANTIA ET
HVMANITATE

INVITAT

D. AVGVSTVS FRIDERIC. MVLLERVS
LOGICAE ARISTOTELICAE PROFESSOR PVBLI-
CVS ORDINARIVS.

LIPSIAE,

LITTERIS BREITKOPFIANIS.

1783

Handwritten text at the top of the page, possibly a title or reference number.

Faint, mirrored text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through.

Large, faint, mirrored text in the center of the page, likely a title or main heading.

Additional faint, mirrored text below the central heading.



Handwritten mark or signature, possibly initials, located between the two stamps.



Faint, mirrored text at the bottom of the page, likely bleed-through from the reverse side.

Faint, mirrored text at the very bottom of the page, likely bleed-through.





Nihil omnino in rebus humanis stabile est et firmum, nihil quod in vitae perpetuitate sibi constet, et secum omni ex parte consentiat ipsum. Minimis momentis maximae inclinationes temporum fiunt, quibus perlevi saepe conversione fortunae in aliam quamcunque formam vertuntur omnia. Levi proinde sententia sunt, qui a virtute deficientes in res fortuitas et caducas cogitationes suas abjiciunt, inque iis haerent toti, et quod in bonis extremum est in iis quaerunt, praesentibus inaniter et effuse exultantes, futuri vel improvidi, vel saltem suspensi et incerti obscura spe et caeca expectatione pendentes. Sed in his ipsis, in quae dominium casus exercet, maxime honor est et famae celebritas, adeo, ut in insignem vanitatis et imprudentiae reprehensionem incurreret, qui famae plus justo serviens, oblitus fati quo humana jactantur, existimationis et laudis quancunque labore collectae, aut quantumvis longe lateque diffusae constantiam spondere sibi fidenter vellet. Honor inter externa est. Est enim non nostrum de nobismet ipsis, sed aliorum bene de nobis existimantium iudicium

dicitur aut arbitrium, cuius effusissima et nullis con-
 stricta vinculis licentia est, quodque detrahere multum,
 multum etiam adjicere nostrae existimationi potest, nec
 semper prout iustitia, aequitas, humanitas suadeat, sed
 saepe prout anticipatum mentibus, aut prout quisque er-
 ga unumquemque affectus fuerit, aut quae omnium vel
 plerorumque sermone percrebuerit opinio ferat, decer-
 nere de nobis solet. Illud ergo quidem unicuique inte-
 grum est, strenuum se praebere in iis quae laudem me-
 rentur, animi et corporis cultu eminere, vitam cum vir-
 tute degere, egregia facinora audere et perpetrare, rerum
 praeclare gestarum magnitudine aliis antecellere: at non
 semper qui in promerendo sunt diligentissimi, iidem fe-
 licissimi sunt in adipiscendo. Soluta legibus sunt homi-
 num iudicia, nec quicquam iis ad accipiendam vim exter-
 nam et ferendam minus idoneum est. Equidem in civi-
 tate modum honoribus aliqua ex parte finivit civile impe-
 rium: cum qui rempublicam capeffunt, et ad res magnas
 gerendas se accommodant, et magistratus gerunt, et
 muneribus publicis praesunt, et nobilitate aut antiquitate
 generis et gloria majorum florent, sua quisque dignitate
 et legitima auctoritate valere jure suo debeant, cujus re-
 gere fines, et statuere modum quo quisque plus pollere al-
 tero potiorque haberi debeat ex ordine, majestatis arbi-
 trium est, quae ipsa et generatim uniuscujusque famae in
 tantum merito providet, nequis impune inferat infami-
 am bonis, et ut sua cuique existimatio ab omni injuria
 tuta sit. At ista qua quis in civitate pollet dignitatis prae-
 rogativa, ista honoris incolumitas, externa est, quae nec
 interna animorum magni vel parvi nos facientium suffra-
 gia liberrima confutare, nec famae licentius usquequa-
 que emanantis impetum reprimere omnino potest. Un-
 de non

de non male, ni fallor, honorem in internum et externum, hunc in naturalem et civilem dispertire possumus. Et internus quidem, quo interno animi iudicio suum cuique pretium statuitur, omnis imperii impatiens libertatem naturalem constanter tuetur, et pro ingeniorum diversitate propensionumque varietate et inconstantia non potest non esse varius et incertus. Externus, qui fama et sermone omnium, qui observantia et obsequio, qui cultu decore & apparate instructo celebrat suos, partim similiter libertati humanae relictus est, quem ob id naturalem voco: ex parte vero imperio quidem civili continetur, et ad insigne potentiae, vel dignitatis, vel auctoritatis fastigium alterum prae altero in societate civili evehit, ast ob id nequicquam certior aut tutior; cum ad honores publicos saepe vel specie virtutis, vel per gratiam, vel per largitiones grassentur indigni, & in tota eorundem obtinendorum et conservandorum ratione sola saepe utramque paginam fortuna faciat, quae et ipsa coeca est, et eos plerumque coecos efficit quos complexa est, quo fit, ut quem superbum dies viderit veniens, saepe hunc dies videat fugiens jacentem. Adjice, internum quem vocavimus honorem vix raro respondere externo, maxime invitis se obrudenti, hinc infestis saepe aemulorum oculis hunc conspici, neque omni ejus apparatu, quantocunque impetu se ingerat, famae invidae licentius usquequaque pervagantis rumores comprimi facile ad silentium posse. Solum, quod rationibus recte subductis solidi quid in honore considerantium oculis subijcere videtur, est, quod saltem non ex unius vulgi, imperitissimi et iniquissimi alienae virtutis aestimatoris, iudicio fama nostra atque existimatio pendeat, sed quod homines sapientes et probi, intelligentiores longe et aequiores rerum arbitri, de unoquoque

quoque non leviter saltem praejudicent, sed gravissime judicent, quorum prae caeteris iudicio atque sententia fama nostrae et existimationis ratio vertatur: unde inferre utique posses, honorem esse alium verum et solidum, qui sapientum, suum cuique justum pretium statuentium, iudicio constet; alium spurium et fucatum, quo quis solo multitudinis iudicio feratur, quaeque majori parti pulcherrima videantur, ea maxime ostendet: hunc quidem arbitrari posses lubricum esse, vanum, inconstantem, eosque adeo, qui ex errore imperitae multitudinis pendeant, in viris vere magnis non esse habendos; verum e contrario honorem, veram gloriam, quae virorum intelligentium et vere bonorum approbatione et plausu nitatur, ab ista vanitatis, temeritatis, et inconstantiae nota merito esse absolvendam.

Tuscul. lib. 3. Ita Cicero, *quae se*, inquit, *verae gloriae imitatricem esse vult, temeraria atque inconsiderata et plerumque peccatorum vitiorumque laudatrix, fama popularis, simulatione honestatis formam ejus pulchritudinemque corrumpit, qua coecitate homines, cum quaedam praeclara etiam cuperent, eaque nescirent nec ubi nec qualia essent, funditus alii everterunt suas civitates, alii ipsi occiderunt.*

ibid. Contra vera gloria, eodem iudice Cicerone, est *solida quaedam res, et expressa, non adumbrata, consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de eccellente virtute.* Ast utut haec ita sint, si vel maxime homines intelligentes et probi laudibus verae virtutis suffragentur, major autem imperitorum, improborum, fociordium turbaria suffragandi studia virtuti vere praeclarae haud naver, parva sic certe mirantium, major perverse judicantium, major invidentium falsisque opprobriis mordentium, major supina aure, quae magno animo excellenterque gesta fuerint, audientium erit concio.

cum

cum rebus humanis agatur, ut meliora pluribus placeant, castum illud et verecundum laudis, vera non nisi virtute obtinendae, studium cedit atque succumbet ambitioni auram popularem quomodocunque captantium, vel famam obtrectatione virtutis alienae aucupantium, idque eo facilius, quo magis obtrectatio et livor pronis auribus accipitur; qua ratione acerbe conqueritur Seneca: *Omnem operam dedi, ut me multitudini educerem, et aliqua dote notabilem facerem, quid aliud quam telis me opposui, et malevolentiae quod morderet ostendi?* De eo quidem mihi dubium non est, honorem atque gloriam verum, et non in postremis quidem, esse bonum, quod propositum esse bono viro, quo intueri, et quo cursum suum dirigere vel maxime debeat. Patet id ex natura et indole socialitatis, cujus arctissimo vinculo omne genus humanum continetur, qua quippe nostra maxime interest, quanti sumus apud alios, ad quorum societatem nos applicamus; cum omnis institutio vitae aliorum adjumenta hominum desideret. Accedit, quod jaceant deserta, contempta, abjecta, vel maxima ex bonis, quae magni nemo facit, et quae in hominibus, qui iis excellunt, nemo magnopere suspicit; quodque adeo honos alat artes, gloriaque incenduntur omnes ad studia, quibus maxime insignia cujusque in vita sociali in alios quosvis merita et officia constant. Plurimum praeterea in rebus majoribus administrandis adjuvat gloria, propterea quod conciliat fidem, aditumque pandit ad multitudinem, ut in universorum animos tanquam influere possimus: cum omnes suspiciant eos, in quibus existimant se excellentes quasdam et singulares virtutes perspicere, despiciant autem eos et contemnant, in quibus nihil virtutis, nihil animi, nihil nervorum putant. Demto ergo honore, et si nemo perinde, atque debet, in laudis

*de Vita
Beat. c. 2.*

*Cic. Offic.
l. 2.*

Offic. 1.

laudis et gloriae cupiditate versaretur, certe omnis societatem officiis colendi, de eaque bene promerendi, vigor animi mirum quantum elangueret et marcesceret. Verum illud est, quam ob rem ista omnia de famae temeritate et inconstantia commemoraverim, quod honore non nimium confidere, bonumque summum, ad quod tanquam ad finem vitae extremum omne nostrum studium conspire ac tendere ultimo debeat, et quo vel solo superflite beati, quoque detracto miseri simus, in honore ac gloria ponere haud oporteat, quo ipso sana ac sobria gloriae cupiditas a vana ambitione longissime distat. Etenim cui honor est id, quod in bonis extremum est, insano fervore virtutem, vitam, fortunas, omnia denique, posteriora honore ducet, quam ipsam ambitionis vanitatem Cicero respexit, quando dixit: *Facillime ad res injustas impellitur, ut quisque altissimo est animo, gloriae cupido, qui locus est sane lubricus, quod vix invenitur, qui laboribus susceptis, periculisque aditis, non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam.* Reponamus ergo utique honorem atque gloriam in numero verorum bonorum, suas saltem ei in bonorum intermediorum numero partes demus, quorum ea est indoles, ut quicquid eorum cuique vel labore partum, vel prospera fortuna obtigerit, id quisque teneat eoque ad legem virtutis utatur; sin industriam aut spem fortuna sefellerit, vel si fluant et labantur, (caduca enim sunt et possessionis incertae,) aequo id quisque animo paratoque ferat. Ita sane honoris eadem est ratio, quae vitae, quae sanitatis, quae opum, quae fortunae secundae, quae denique bonorum externorum omnium. Et sic animum facile attendere poterimus ad cavendum, ne proni, dum vitium vitamur, ruamus in contrarium, neve vel honore a numero verorum bonorum se-

gregato

gregato vitam ingloriam ignobilemque Cynica impudentia confectemur, nec si honorem reponamus in bonis, ad boni summi fastigium eum extollamus. Qua ratione nequaquam ferendum, et non modo non laudi, verum etiam vitio dandum est Stoicis, quando, quemadmodum generalem rerum externarum despicientiam paullo morosius praecipunt, ita ut ambitionis vitium vitent, in contrarium currunt, honoremque et gloriam contemnunt plane et pro nihilo ducunt, atque adeo, uti omni perturbatione animi, omni cupiditate et metu, omni etiam aegritudine et voluptate animi vacandum esse censent, ut tranquillitas adsit & securitas, ita gloriae quoque cupiditate vacare omnino suum volunt sapientem: quamvis, quod fieri fere in mala causa solet, tristi illi austeritati suae male consent, quando ex ipso eorum, quo honores despiciunt, supercilio factus male celatus subinde elucet, et quando, quod Cicero subtiliter arguteque notat, *illi ipsi Philosophi, etiam in illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt, in eoque ipso, in quo praedicationem nobilitatemque despiciunt, praedicari se ac nominari volunt.* Caeterum quemadmodum gloria vera virtute parata et ipsi honorato multum prodest, dum vivit, et aliis quorum vel emolumento cedunt res praeclare gestae, vel quorum animos similibus virtutis igniculis accendit: ita gloria etiam post mortem superstes, seu nominis immortalitas, cum utilitatem insignium meritorum ad posterum quoque transfusam, tum gratam et non intermituram eorundem memoriam posteritati denunciat: quae licet a nostro sensu post mortem abfutura sit; non tamen est quod nobilem illam voluptatem adspemur, quae dum vita fruimur capi possumus meritorum posteris profuturorum nobis conscii. Virtutem enim insignem gloria

*Cic. Off.
lib. 1.*

*Pro Arch.
Poët.*

Epist. 79.

Pro Archia
Pöit.

ria non semper comitatur, saepe sequitur, & lento quandoque gressu, saepe post fata demum: quo casu, quaeso, quod honestius potest esse solatium, quam, quod Tacitus ait, suum cuique decus post fata posteritatem rependere? Gloria, inquit Seneca, *umbra virtutis est. Sed quemadmodum aliquando umbra antecedit, aliquando sequitur, ita gloria aliquando ante nos est, visendamque se praebet, aliquando in averso est, majorque quo serior, ubi invidis secessit.* Nulla virtus latet, & latuisse non ipse est damnus: veniet, qui conditam et seculi sui malignitate compressam di-ces publicet. Paucis natus est, qui p. pulum aetatis suae cogitat: multa annorum millia, multa populorum supervenient; ad illa respice. Etiam si omnibus tecum viventibus silentium livor indixerit, venient qui sine offensa, sine gratia iudicent. Si quod est pretium virtutis ex fama, nec hoc interit. Ad nos quidem nihil pertinebit posterorum sermo: tamen etiam non sentientes colet et frequentabit. Nulli non virtus et vivo et mortuo retulit gratiam. Et bene Cicero, si nihil, ait, animus praesentiret in posterum, & si quibus regionibus vitae spacium circumscriptum est, iidem omnes cogitationes terminaret suas: nec tantis se laboribus frangeret, neque tot curis vigiliisque angeretur, nec toties de vita ipsa dimicaret. Nunc insidet quaedam in optimo quoque virtus, quae noctes et dies animum gloriae stimulis concitat, atque admonet, non cum vitae tempore esse dimittendam commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adaequandam. Haec vero sive a meo sensu post mortem absutura sunt, sive, ut sapientissimi homines putaverunt, ad aliquam animi mei partem pertrinebunt, nunc quidem certe cogitatione quadam speque delector. Quamvis autem inconstantiae, qua gloria premitur, post mortem cessent causae aliquae, invidia maxime: non tamen cessant omnes ingenio-

ingeniorum scilicet varietas, et saepe ne quidem affectus. Unde mirabilem famae summorum virorum post mortem quoque inconstantiam experimentis deprehendimus. Exemplum sumamus ab ARISTOTELE, cujus quidem causa haec omnia differui. Cum enim Regio Patris patriae beneficio Aristotelem publice in hac Academia docendi provincia mihi data sit, et fama hujus Philosophi et olim fuerit, et nunc potissimum fere sit anceps: cum mea, tum Juvenum Studiosorum maxime interest, et laudes et maledicta, quibus Aristoteles modo Philosophorum princeps, modo impostorum improbissimus, aut nugatorum insulsiissimus, miranda vicissitudine celebratus fuit, paululum excutere. Et haud levem quidem famae et fortunae inconstantiam Stagirites expertus est ipse, cum vitam adhuc et spiritum duceret. Ab meunte adolescentia, quantum aetate procedebat et sapientia, cujus incredibili flagrabat studio, ipsis quasi vestigiis insequebatur plausus, mox praevius summa quaeque in omni scientiarum genere molientem sermone omnium celebrabat. Discipulus Socratis cum per triennium fuisset, eoque mortuo Platoni decimo septimo aetatis anno se tradidisset, cujus in schola viginti annos integros auditorem se praebuit assiduum, inter omnes Platonis discipulos quam maxime excelluit. Tanta enim sciendi, tanta veritatem exquirendi cupiditate ardebat, ut a Platone nunc *Mens*, nunc *veritatis Philosophus* cognominaretur. Hoc amplius adeo inexplebilis erat in pervolutandis et legendis Philosophorum libris, et in omni scriptorum genere excutiendo, ut ejus aedes idem Plato *Lectoris domum* appellare consueverit. Mox fama viri ingenio et doctrina longe omnium principis, exquisita insuper eloquentia morumque cultu perpoliti, tanta percrebuit, ut in ore atque sermone omni-

*Laertis
in Aristot.*

Plutarch. in Alexand. c. 11. um esse coeperit, et a Philippo Macedonum rege unus ex omnibus, qui tunc erant, egregiis Philosophis Alexandro filio praeceptor deligeretur. Etenim quam multum tunc temporis nomen Aristotelis in Graecia fuerit, ipsae

Gell. 1. 9. c. 3. quae apud Gellium extant, Philippi Regis ad Aristotелеm Philosophum litterae docent, in quibus *gratiam habet Diis, non tam quod Alexander natus sit, quam quod eo tempore nasci eum contigerit, quo institui a tanto magistro possit.* Quantum postea, cum munere fungeretur iūo, tam apud Philippum, quam apud Alexandrum, gratia valuerit, et quantum utrique operam suam probaverit, inde apparet, quod Philippus Stagiram oppidum in Macedoniae finibus situm, Aristotelis patriam, ante a se deletam instauravit, et cives, qui vel diffugissent vel servirent, restituit: et ipse Alexander crebris sermonibus usurpavit,

Laert. et Plut. d. 1. *non minus se Aristotelem quam genitorem amare, ab hoc enim vivendi, ab illo bene vivendi rationem assecutum.* Ac ne quidem cum aliis multis communicari, aut in medicis hominibus pervulgari Rex voluit selectiores, quas ab Aristotele acceperat scientias. Inde cum in vulgus ab Aristotele editos libros acroamaticos cognovisset, ea tempestate, qua armis exercituque omnem prope Asiam tenebat, Dariūque Regem praeliis et victoriis urgebat, in illis tamen tantis negotiis litteras ad Aristotelem dedit,

Gell. 1. 20. c. 4. *non recte eum fecisse, quod disciplinas acroamaticas, quibus ab eo ipse eruditus fuerit, libris foras editis divulgasset. Nam, qua, inquit, alia re praestare caeteris poterimus, si ea quae ex te accepimus, omnium prorsus fient communia? quippe ego doctrina antequam malim, quam copiis atque opulentia.* Ad quam Regis indignationem leniendam Aristoteles in hanc fere sententiam rescripsit: *Acroamaticos libros, quos editos quereris, et non perinde ut arcana abscondi-*

*scanditos, neque editos scito esse neque non editos, quoniam
 ii soli, qui nos audiunt, intelligent.* Quantum denique
 posuerit Alexander in studio Aristotelis augendi et or-
 nandi scientias naturales, colligere apertissime possumus
 ex sumtu quem fecit, nihil ut deesset Aristoteli, quod
 ad peruestigandas rerum naturas esset opportunum, id
 quod ita memoriae prodidit Plinius: *Alexandro M. Rege* *Plin. l. 8.*
inflammato cupidine animalium naturas pernoscendi, dele-
gataque commentatione Aristoteli, summo in omni scientia
viro, aliquot millia in totius Asiae Graeciaeque tractu pa-
rere iussa omnium, quos venatus, aucupia, piscatusque ale-
bant, quibusque vivaria, armenta, alvearia, piscinae,
aviaria, in cura erant, ne quid usquam gentium ignoraretur
ab eo: quos percontando quinquaginta ferme volumina
illa praeclara de animalibus condidit. Et sunt, qui di- *Athenaeus,*
 cunt, impendisse Alexandrum in hujus operis confectio- *Dipnos. l. 8.*
 nem octingenta talenta, hoc est, quadringenta et octo-
 ginta millia nostrorum solidorum. Ex quibus omnibus
 liquet, multum quidem momenti atque ponderis attulisse
 Alexandrum ad nomen Aristotelis sempiternae gloriae
 commendandum, cum tantus discipulus non potuerit
 non maximam ingenii et virtutis opinionem conciliare
 magistro; sed et vastam variamque Aristotelis eruditio-
 nem plurimum utique valuisse in tantum Regem, tanto
 sapientiae amore, et tam perspicaci unamquamque rem
 existimandi momentoque suo ponderandi prudentia prae-
 ditum. In id ergo gloriae fastigium evectus Aristoteles,
 super quod ascendere fere haud poterat, non obscuram
 in se multorum invidiam concitavit, adeo, ut et Plato-
 nem ipsum infensorem illi factum fuisse asserant, quod
 jam tum multis in rebus ab ipso dissentiret, unde illud
 a Platone dictum fertur: *Aristoteles in nos recalcitrat,*

non secus atque in matrem pulli, quos peperit. Ast Alexandri praelidio tutus Aristoteles aemulorum injurias defugit diu, non tamen penitus. Eo enim tandem Alexandri animum obrectatorum solertia traduxit, ut suspectum posterioribus temporibus habuerit Aristotelem, insidiarum ab Hermolao et Callisthene ipsi structarum nomine. Quae abalienatio, etsi non eo usque processit, uti durius aliquid in Aristotelem Rex propterea statueret, consuetudine tamen minus quam ante amica, et remissione amoris patuit. Anaximeneum enim, ad contristandum Aristotelem, Rex exulit, et dona Xenocrati misit, quorum utrumque maxime aemulum habebat Stagiritam. Verum Alexandro vita defuncto, qui odium intimo corde erga Aristotelem conceperant, venenum aliquantulum repressum licentius evomuerunt. Nam in jus vocatus, et, nescio quo tristi complurium magnorum atque proborum virorum fato, impietatis accusatus, quod esset *ἀθεός καὶ ἀσεβής*, causam tum primum pro se agere coactus est, quam solam toto vitae tempore dixisse fertur. Deinde Atheniensium judicium veritus, supplicioque Socratis territus, in Euboeam insulam se subduxit, et reversus est nunquam: quo collineat Seneca, *interrogo, inquam, ad quam rempublicam sapiens accessurus sit? ad Atheniensium, in qua Socrates damnatur, Aristoteles ne damnaretur fugit? in qua opprimit invidia virtutes?* Posteriori ergo hanc Aristotelis et fortunam et famam si quis conferat cum prima, non potest non admirari rerum humanarum inconstantiam, cum major, quam quae hic apparet, vix esse possit rerum conversio. Neque tamen omnibus, teste Seneca, *nec constanter imponit fraus: quae decipiunt, nihil habent solidi. Tenue est mendacium: per lucet, si diligenter adspexeris.* Sic nec omnia quae in Aristot.

*Plutarch.
cap. 13.*

*Laert. in
Aristot.*

*de Vita
Beata, cap.
ult.*

*Sen. Epist.
79.*

Aristotelem ardebant odia, in turpissima quaevis convicia effusa, impedire potuerunt, quo minus is praeclara sua in Philosophiam merita in orbis terrae memoriam sempiternam spargeret ac disseminaret: utut et illi maledicentissimi de Aristotele rumores cohiberi omnino nequiverint, sed laudibus Philosophi subinde obstrepentes ad nostra usque tempora pervaserint, imo nova quandoque, posterorum vitio, incrementa ceperint: qua ex re evidentissimum inconstantiae, qua gloria etiam post mortem parta saepe iactatur, capere documentum possumus. Fulse, et egregie sane, de varia Aristotelis fortuna, maxime in Academia Parisiensi, disseruit, variaque variorum de eo judicia coacervavit Launojus, Parisiensis Theologus. Exsequitur is fortunae casus octo, quos Aristoteles ab ineunte seculo decimo tertio Luteriae Parisiorum tulerit. Et primus quidem exhibet Concilii Parisiensis anno 1209 celebrati decretum, quo condemnantur et flammis ultricibus exuri et concremari jubentur errores Almarici, et Aristotelis libri, dirisque devotentur, qui hos describere, legere, vel quocumque modo habere ausi fuerint; propterea quod hi libri *sententiis subtilibus haeresi Almarici occasionem praebuerint, imo et aliis nondum inventis praebere possint.* Quo vero modo tam acerbam accusationem, tam periculosa aleae iudicium, libri Aristotelis sola *sententiarum suarum subtilitate* constare sibi potuerint, discere possumus ex lite, quae non multo ante dicti concilii tempus Bernhardum inter et Petrum Abaelardum agitata est, quorum ille huic Dialecticam Aristotelis exprobravit; Abaelardi autem partibus hoc in passu procul dubio Almaricus studuit. Ita autem Bernardus in epistola ad Innocentium II: *Habemus in Francia novum de veteri magistro Theologum, qui ab ineunte aetate*
in

Launoj.
cap. 1.

Idem, cap.

3.

in Arte Dialectica lusi, et nunc in Scripturis sanctis insanit. Olim damnata et sopita dogmata, tam sua videlicet quam aliena, suscitare conatur, et insuper nova addit. Eadem de Abaelardo, saltem paullo clarius, ut appareat quid tandem peccati in Dialectica Aristotelis haerere visum fuerit, Otto Episcopus Freisingensis memoriae prodidit, Sententiam, inquit, vocum seu nominum in naturali tenens facultate non caute Theologiae admiscuit. Quare de S. Trinitate docens et scribens, tres personas, quas sancta ecclesia non vacua nomina tantum, sed res distinctas, suisque proprietatibus discretas, haecenus et pie credidit, et fideliter docuit, nimis attenuans, non bonis usus exemplis inter caetera dixit: Sicut eadem oratio est propositio, assumptio, et conclusio, ita eadem essentia est Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. Ob hoc Sueffionis provinciali Synodo congregata, Sabellianus haereticus iudicatus, libros quos ediderat propria manu ab Episcopis igni dare coactus est. Neque defuerunt sub illud tempus plures, qui, referente Launojo, P. Abaelardum, et tres alios ejusdem furfuris Sophistas, Petrum Lombardum, Petrum Pictavinum, et Gilbertum Porreranum, haereseos infimulaverint, quod in eo essent toti, ut sacratissima quaevis Theologiae revelatae mysteria Scholastica levitate tractarent, spirituque censerent Aristotelico. Et Jo. Trithemius de Abaelardi studio sic pronuntiat: Ab hoc tempore, quo vixit Abaelardus, Philosophia secularis sacram Theologiam sua curiositate inutili foedare coepit. Scripsit volumen dialectica obscuritate subumbratum, multis sententiis varium, quod praenotare voluit Theologiam suam. Ast horum omnium, aliorumque quos Launojus hanc in rem citat testium complurium auctoritate nemo non convincitur, quicquid mali hujus factum fuerit, culpa non factum esse Aristo-

*De gestis
Friderici I.
lib. I.*

*Launoj. loc.
cit.*

*Libr. de
Scriptor.
Eccles.*

Aristotelis, sed Aristotelicorum. Unde quamvis Launojus minus tutum judicet, de hisce talibus pronuntiare quidquam, eo quod impendat ex utraque parte periculum, si sopitus ignis recalesceret, hinc nempe anathemata, illinc exilia: nemo tamen de nostris, utpote utroque isto timore solutis, facile dubitabit pronuntiare libere, non sine gravi injuria, quicquid deliraverint Aristotelici, plecti Aristotelem. Sed quemadmodum summa non stant diu, ita neque multum duravit nimius iste rigor. Etenim ira paullatim deflagrante reputare secum, credo, coeperunt boni viri, qui tantam in Aristotelem iracundiam exercuerant, non satis ex sententia successurum esse studium sapientiae, si spreto primis eruditionis, Logicae saltem, fundamentis, ne quidem vim vocis cujusunque accuratius designare, nec quid sit res definite distincteque determinare, nec enuntiatum resolvere, nec quibus legibus illatio fiat legitima, aut quae connexi ratio, cum concesseris superius, cogat inferius concedere, nec quomodo in quacunque disquisitione artis atque ordinis via progredi oporteat, didiceris. Haec cum Aristotelem praeceptis diligentissime persecutum esse recordarentur, sexennio vix interjecto, anno nempe 1215, quae altera apud Launojum fortunae Aristotelis conversio est, deserta S. Augustini, qua usi interea erant, Dialectica, Dialecticam Aristotelis seu Organon postliminio receperunt, repudiatis iterum caeteris Philosophi, Metaphysicis maxime et Naturalium quas vocat Auscultationum, libris. Sed ubi semel redire dicto modo cum Aristotele in gratiam coeperunt, paullum aliquid ultra subinde progressi sunt. Anno enim 1231 lectionem librorum Aristotelis plerorumque ea conditione permiserunt, dummodo corrigerentur, et quae Christianae religionis

*In Praefat.
ad Monumentum.*

*Launoj.
cap. 4. 5.*

gionis doctrinis aliena essent refecarentur. Quin imo haec indulgentia, quae lenem saltem haecenus et exorabilem quodammodo adversus Aristotelem se praebuerat, novum plane ingenium induit tandem, quando anno 1366 duobus aulae Romanae purpuratis ex auctoritate Urbani V. Academiam reformantibus, lege publica praeceptum est, ut Aristotelis libri, haecenus permitti tantum, omnino praelegerentur, et qui ad dignitates Academicas aspirarent, de iis interrogati in examinibus publicis responderent: quae constitutio anno 1452, cum Caroli VII. Regis jussu Totavillaeus Academiam restauraret, et confirmata fuit et aucta. Ipse interea Nicolaus V. Pontifex, qui anno 1447 solium Romanum conscendit, curavit, ut Bessarione Cardinali interprete libri Aristotelis Metaphysici nova latinitate donarentur: quo ipso tempore lis perulgata Bessarionem inter et Marcum Ephesinum aliosque agitabatur, utrum Aristotelis, an vero Platonis placita religioni Christianae convenirent melius: Erant enim, qui Platoni palmam deferebant, eumque *divinum*, Aristotelem vero *daemonium saltem, quasi medii cujusdam ingenii inter divinum et humanum*, appellabant: Aristotelici autem in eo tunc temporis erant toti, ut suppresso Platone, solam Philosophiam Aristotelicam introducerent, eaque sophisticis contentionibus varie distorta Theologiam inquinarent infuscarentque, et inde Theologiam quam vocant Scholasticam, ab Abaelardo, Alberto Magno, et Thoma Aquinate, impari successu coeptam, denuo exaedificarent et perficerent; quam ipsam adeo Theologiam Scholasticam hac definitione acute describit Lutherus quod sit *disciplina ex Centaurorum genere biformis, a Parisiensium Sorbona mixtione quadam ex divinis eloquiis et Philosophicis*

Idem c. 9.

Idem c. 11.

Idem c. 10.

cis rationibus conflata. Ita factum, ut tanta tunc religione coleretur Aristoteles, ut vere ejus fidem auctoritati Scripturae Sacrae adaequarent qui tunc erant Artium Magistri, et quicquid quisque differeret, sola pro ratione staret Aristotelis auctoritas. Sed quemadmodum mira omnium rerum est vicissitudo: ita seculo decimo sexto in scenam prodibat Petrus Ramus, qui omnem vitae suae cursum in vellicandis Aristotelicis confecit. Juvenis cum ad Magistri Artium dignitatem Lutetiae Parisiorum adspiraret, atque ex lege et consuetudine Academiae, delecto suo ipsius arbitrato argumento, disputandi copiam Magistris examinaturis facere deberet: quaestionem de Aristotele posuit, et, *quaecunque ab Aristotele dicta sint, falsa esse et commentitia*, ventilandum sibi ac defendendum sumisit, eo manifeste fine, ut exagigaret sola Aristotelis auctoritate fratros, nudumque Philosophiae Scholasticae latus, detracto ipsi auctoritatis Aristotelicae praesidio, quo solo muniti descendere in aciem hactenus consueverant, ostentaret. Attoniti asserti novitate, et assertantis arrogantia, et insolita, praecluso ad domum Aristotelis perfugio, disputandi ratione, Magistri per diem integrum Ramum oppugnarunt, irrito conatu, & in summas ab ipso angustias adducti. Ex quo successu ansam deinceps Ramus, serio et libere in Aristotelis doctrinas animadvertendi et inquirendi arripuit, ratus, omni seposita auctoritate liberum unicuique esse debere, recte a quocunque dicta probare, errores, etiam quos Aristoteles erraverit, rejicere atque refellere, neque Philosophiam aliter absolvi posse: sic Platonem in Zenone, Parmenide, Democrito, superioribusque aliis, quaedam probasse, quaedam improbasse, Aristotelem in Platone, Theophrastum

*Freigius in
vita Rami.*

in Aristotele, alios deinceps in aliis, donec verum Philosophiae studium viguerit, eandem libertatem secutos esse. Esse se ergo Aristotelis discipulum profitebatur, sed ita, quomodo Aristoteles Platonis esse voluerit. Hac cogitatione intentus, scripsit *Scholarum Dialecticarum, seu Animadversionum in Organon Aristotelis* Libros. Sed ut lecti hi erant, repente ad Praetorii tribunalis capitalem contentionem Ramum magnis clamoribus rapiunt Aristotelici Parisienses, accusantes, eum reprehendendo Aristotelem omnes artes conturbare, jura divina et humana pervertere, denique e mundo quasi mundi solem tollere. Damnantur Rami libri, et Ramo ipsi, ne unquam vel docendo vel scribendo in ullam Philosophiae partem ingrederetur, interdicitur, Francisco I. Rege sententiam confirmante. Ast haud ita multo post Ramus ab Henrico Rege, Carolo Lotharingo pro eo deprecante, ejusque causam agente, freudentibus adversariis in integrum restituitur, imo Professoris Regii dignitatem consecutus, libertatem Eloquentiam et Philosophiam ex instituto suae disciplinae publice docendi feliciter recuperavit, eaque iterum iterumque laceffitus strenue et cum gloria usus est, donec anno 1572 in famosissima laniena Parisiensi crudelitati adversariorum, ob solum ab Aristotele diffusum in haereticorum numero eum reponentium, victima mactaretur, manifesto exemplo, imperitis hominibus nihil esse crudelius, et, dum accedat fucata pietas, ne pilum quidem ullum superesse ad augendum iniquitatis fastigium. Eo itaque tandem res deducta erat, ut, quod mireris, pro eodem Aristotele, quem diris antea flammisque ultricibus mandaverant ac devoverant, nunc tanquam pro salute pugnant: licet anxia illa sollicitudo ferendi praesidium labenti atque

atque inclinatae auctoritati Aristotelis nimiae, infracto medico temporum tractu primo furore, inanes tandem facere impetus perferisceret, Luthero in densissimis, quas Philosophia Aristotelicorum Scholastica Theologiae offuderat, tenebris lumen repurgatae doctrinae praefereute, et ab altera parte illustrissimis duumviris, Renato Cartesio et Petro Gassendo novum prospero Marte intum facientibus. In Academiis Protestantium, maxime in nostris Saxonum, plaga primum perquam dura injecta est Aristoteli ejusque sectae, et injici utique debuit nimium ferocienti. A monstris enim, quae foeda ista Theologiae cum Philosophia Aristotelis confusione Theologi Scholastici pepererant, ipsa Philosophia Aristotelica, ad istum finem male detorta, Scripturae Sacrae adaequata, Theologiam in puritatem suam vindicandam liberare studebat Lutherus: quare non est, quod miremur, siquid durius in Aristotelem, a cujus sola auctoritate pendebant Scholastici, pronuntiavit. Non tamen ideo ad extrema descendere, et Philosophiam, ipsam etiam Aristotelicam, diris ac flammis, Parisiensium exemplo, devovere oportebat: unde nec usque adeo Aristotelis philosophandi rationem adspertus est Lutherus, ut non mitiorem de eo aliquando sententiam conciperet, et laudis aliquid in eum conferret, et Philippi Melanchthonis institutum, Philosophiam Aristotelicam puriorem, sublati Scholasticorum spinis, restituendi gnauiter commendaret. Ita enim ipse Lutherus, qui Philippum, inquit, non agnoscit praecipientem, eum necesse est merum esse asinum et beanum superbissimum. Quicquid scimus in artibus et in vera Philosophia, illud debemus Philippo. His ipsis enim Melanchthonis auspiciis factum est, ut in Academiis Saxonum Ari-

Ab Elswich
de var. Arist. in Acad. Protest. fort.
§. II.


Idem §. 14

stotelis Philosophia retenta omnino fuerit, varie quidem postea laceffita, et utique, reducta sobria philosophandi libertate in multis varie et emendata et aucta, ast nunquam excisa penitus et evulsa. Neque sane est, quod Aristotelem temere abjiciamus; quidni enim suspiciamus Philosophum, qui tot seculorum memoria summis plerisque Philosophis tantam injecit admirationem suimodo ne revereamur ut deum, neve existimemus, quaecunque dixerit Aristoteles ex tripode dicta esse, et ab Aristotele adeo vel in re minima dissentire, idem esse, quod naturae, veritati, Deo repugnare. Ignoscamus nimia Aristotelis veneratione abreptis, siquid insolentius jaectant: *Unum esse Aristotelem, qui credi debeat regula et exemplar a natura exhibitum, in quo summa perfectio, quae homini in mortali vita degenti naturaliter contingere potest, eluceat, ac demonstretur, tantam ingenii vim miraculum quoddam esse, eumque qui hac mentis felicitate praeditus est, divinum magis quam humanum appellandum esse.* Ipse Aristoteles cum nec in Platonis, quantumvis divini, nec in ullius unquam magistri verba juraverit, sed majorum inventis egregie adjutus et sublevatus, proprii nervos ingenii in omnis sapientiae studio mascule intenderit: eodem modo et nobis in Philosophia versandum esse censeamus, et in hoc uno omnium maxime Aristotelicos nos ostendamus; sic demum erimus Aristotelici veri et germani, liberi, non servi. Et hoc ipsum propositum mihi est, postquam Serenissimus ac Potentissimus Princeps ac Dominus, Dominus FRIDERICUS AUGUSTUS, Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Mazoviae, Samogitiae, Kyoviae, Volhyniae, Podoliae, Podlachiae, Livoniae,

*Averröes
in Proem.
Phys.*

niae, Smolensciae, Severiae, Zernicoviae, Dux Saxoniae, Juliae, Cliviae, Montium, Angriae, et Westphaliae, Sacri Romani Imperii Archimareschallus et Elector, Landgrafius Thuringiae, Marchio Misniae, et Lusatiae Superioris Inferiorisque, Burggrafius Magdeburgi, Comes Principalis Hennebergicus, Comes Marcae, Ravensbergi, et Barbyae, Dynasta in Ravenstein, Dominus meus longe Clementissimus, Professionem Logicae Aristotelicae Ordinariam mihi Clementissime demandavit: quam summam AUGUSTISSIMI REGIS gratiam humillimo gratae mentis cultu veneror. Cumque more Majorum, antequam ea, quae muneris hujus publici ratio exigit, aggrediar, Oratione solenni ejus facienda sint auspicia: proxime instante Sabbati die, Aprilis nempe decimo nono, statim post auditam horam nonam, de *Egregiis Aristotelis in Philosophiam meritis* in Auditorio Philosophorum dicere constitui, et ut Rector Academiae Magnificus, Comites Illustrissimi, utriusque Reipublicae Proceres Gravissimi, nec non Generosissimi atque Nobilissimi Academiae Cives, dicentem benevole audire velint, ea qua par est observantia et humanitate rogo atque contendo, eximiam hanc in me benevolentiam omni obsequio paratissimisque officiis quacunquē data occasione compensaturus. P. P. Lipsiae, Fer. II. Paschat. Anno MDCCXXXII.





H. 337, 41.

De explanatione

II f
1335

MAGNIFICVM
ACADEMIAE RECTOREM
ILLUSTRISSIMOS COMITES
VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES GRAVISSIMOS
NEC NON
GENEROSISSIMOS ET NOBILISSIMOS
ACADEMIAE CIVES
AD AVDIENDAM
ORATIONEM

QVA X 2313053

PROFESSIONEM LOGICAE
ARISTOTELICAE ORDINARIAM CLE-
MENTISSIME SIBI DEMANDATAM

DIE XVII. APRILIS A. O. R. MDCCXXXII

XIX
HORA IX. MATVINA



AVSPICABITVR

EA QVA PAR EST OBSERVANTIA ET
HUMANITATE

INVITAT

D. AVGVSTVS FRIDERIC. MVLLERVS
LOGICAE ARISTOTELICAE PROFESSOR PVBLI-
CVS ORDINARIVS.

LIPSIAE,

LITTERIS BREITKOPFIANIS.